



## **Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.**

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum  
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra  
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure  
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;  
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &  
heriditarias quasi successiones

**Epo, Boetius**

**Duaci, M.D.LXXXIIX.**

291 Tacita collatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

nere, quæstionis est haud ociosæ nec inutilis, an tacita vel simplex approbatio superioris, absque vel resignationis vel collationis vllius interuentione, sufficiat? veluti superiore dicente, *Placet mihi vestra permutatio, transite alter in alterius locum*, neque defunt graues aucthores inter quos & ipse putatur esse Pont. Max. Innocentius IIII. (attamen ante Pontificatum, ne quis eius auctoritate moueatur) in c. inter cætera. de præbend. qui talem defendant approbationem, quasi cui tacita quædam insit collatio; quemadmodum fit in sub-  
stit. pupill. vbi tacita vulgaris inest expressæ pupillari, & vice versa, l. iam hoc iure. ꝛ. de vulg. & pupill. subtit. In cuius rei argumentum facit & hoc quòd iuxta Ioann. Andr. & Cardin. Host. traditionem ad cap. ex ore. de his quæ fiunt à maio. part. cap. valeat beneficij nondum clarè manifesteque vacantis collatio per Episcopum facta cuiquam alteri de consensu beneficiarij, seu veri possessoris; eò quòd & hic tacita quædam censeatur interuenisse tum possessoris huius renunciatio seu resignatio tum Episcopi acceptatio. Verùm quia summè curandum semper est ne vitiosus ad Ecclesiastica beneficia detur ingressus, & maturissimè religiosissimeque talibus in rebus versari conuenit, & hanc nostram Clementinam sic loqui videmus vt apertam requirere videatur & resignationem & collationem (dum per alios permutare volentes resignata ponit beneficia quæ tamen aliis de

k v facto

289  
Simplex approbatio superioris an sit instar collationis.

290  
Tacite substitutiones.

291  
Tacite collatio.



facto non de iure conferantur) rectius illos existimo sentire qui claram & expressam volunt adhiberi tum resignationem seu renunciacionem tum collationem; quod & Host. in d. c. ex ore. iudicat esse tutius, & Senensis consuetudine seruari scribit in memorato suo tractatu de permutat. quaest. 27.

292  
Beneficia di-  
uersi generis  
recte permutari.

Cæterum quod inter superiora diximus de beneficiis cum solis beneficiis, nõ autem cum spiritualibus aliis rebus vllis inter sese permutandis, licet alia spiritualia diuersi generis inter sese permutentur, non sic est accipiendum, quasi beneficia quoque permutanda necessario prorsus esse debeant eiusdem generis vel qualitatis: possunt enim beneficia simplicia permutari cum dignitatibus & pastoratibus, & vice versa, dummodo capacitas personarum non desit. qua de re plenius consule Ioannem Seluã parte 3. sui tractatus de beneficio quaest. 54.

293  
Vnius beneficii cum pluribus permutatio.

Quandoquidem beneficiorum nomine comprehenduntur omnia talia dignitatum & curarum ecclesiasticarum genera, sicut ex beneficii definitione patuit. Nec præcisè vnius beneficii cum vno beneficio tantum permittitur permutatio, verumetiam beneficii vnius cum pluribus beneficiis & beneficiorum plurium cum vno beneficio, si modò capacitas personarum & hic adfit. id quod Interpp. nostri latè prosequuntur ad c. cum venerabilis, de except. & *Rebuffus* in sua praxi beneficiali parte 3. tit. de permut. num. 40. Sed hic non importunè queritur, an si quis plura possideat benefi-

294  
An expressio plurium bene-